Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



mei loquutus sum de reliquis gentibus et de universa idumea
qui dederunt terram meam sibi in hereditatem in gaudio et corde
ex animo et exterminaverunt eam ut vastarent spoliarent pascua israhel
et dicet montibus et collibus iugis et vallibus hec dicit dominus
deus ecce ego in zelo meo et in furore meo loquutus sum eo quod confusionem
gentium sustinuistis propterea hec dicit dominus deus. Ego levavi manum
meam ut gentes quae circuitu vestro sunt ipse confusionem suam portent vos
autem montes israhel ramos vestros extendite et germinetis et fructum vestrum afferatis
populo meo israhel prope est enim ut veniat. quia ecce ego
ad vos et convertar ad vos et arabimini et accipietis sementem et
multiplicabo in vobis homines omnem domum israhel et habitabuntur
civitates et ruinosa instaurabuntur et replebo vos hominibus et pecoribus
et multiplicabuntur et crescent et habitare vos faciam sicut a principio
bonis donabo magis quam habuistis ab initio et scietis quia
ego dominus. Et adducam super vos homines populum meum israhel et he-
reditabit possidebunt te et eris eis in hereditatem et non addes ultra ut
absint eis sicut hec dicit dominus deus. pro eo quod dicunt de vobis devoratrix
homines es et suffocans gentes ideo populo tuo non comedes amplius
et gentes tuas non vocabis ultra ait dominus deus. non audiam faciam amplius
in te confusionem gentium et opprobrium populorum neque ultra portabis et gentes
tuas non amittes amplius ait dominus deus. Et factum
est verbum domini ad me dicens fili hominis domus israhel habi-
tantes in humo sua et polluerunt eam in viis suis et in studiis suis
quasi immundicia menstruata facta est via eorum coram me. Effudi
indignationem meam super eos propter sanguinem quem fuderunt super terram
et in idolis suis polluerunt eam. et dispersi eos in gentibus et venti
lati sunt in terris iuxta vias eorum et ad iudicia eorum iudicavi
eos. et ingressi sunt ad gentes ad quas pervenerunt et polluerunt no-
men sanctum meum. Cum dicerent de eis populus domini iste est et de terra eius
egressi sunt. Et pepercit nomini sancto meo quod polluerant domus israhel
in gentibus ad quas ingressi sunt. propterea dicit dominus israhel hec
dicit dominus deus non propter vos ego faciam domus israhel sed propter
nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus ad quas ingressi
estis et sanctificabo nomen meum magnum quod polluitur inter gentes quod pol
luistis in medio eorum ut sciant gentes quia ego dominus ait dominus exercituum.